

# Bronisław Gładysz

---

## Novum argumentum apologeticum in Matth. 28, 11-15

---

Collectanea Theologica 19/2, 228-230

---

1938

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## Novum argumentum apologeticum in Matth. 28, 11—15.

In Commentariis trimestralibus a Societate philologica Polonorum editis, quae „Eos“ inscribuntur, eruditus philologus Posnaniensis inscriptionum explicandarum peritissimus, Hieronymus Markowski doctam dissertationem „De Graeca inscriptione Nazarea“ publici iuris fecit<sup>1)</sup>, cuius argumenta theologis quoque utilitates quasdam praebere possunt. Agitur de edicto a caesare Augusto Iudaeis Palestinensibus promulgato, cuius contextus apud Franciscum Cumont legitur<sup>2)</sup>:

Λιάταγμα Καίσαρος

Ἄρῃσκει μοι τάφους τόνβους  
τε οἷτινες εἰς θρησκείαν προγόνων  
ἐποίησαν ἢ τέκνων ἢ οἰκείων,

5 τούτους μένειν ἀμετακινήτους  
τὸν αἰῶνα. Ἐὰν δέ τις ἐπιδίξῃ τι-  
νὰ ἢ καταλελυκὸτα ἢ ἄλλω τινὶ  
τρόπῳ τοὺς κεκηθευμένους  
ἐξερριφύτα ἢ εἰς ἑτέρους

10 τόπους δάλω τον ηρω με-  
τατεθεικὸτα ἐπ' ἀδικία τῇ τῶν  
κεκηθευμένων ἢ κατόχος ἢ λί-  
θους μετατεθεικὸτα, κατὰ τοῦ  
τοιούτου κριτήριον ἐγὼ κελεύω

15 γενέσθαι, καθάπερ περὶ θεῶν,  
εἰς τὰς τῶν ἀνθρώπων θρησκ-  
κειίας· πολὸ γὰρ μᾶλλον δεήσει  
τοὺς κεκηθευμένους τειμᾶν  
καθόλου μηδενὶ ἐξέστω μετα-

<sup>1)</sup> Vol. XXXVIII, Leopoli 1937, p. 429—443. — Cf. eiusdem auctoris: De Caesaris Graeco titulo Palaestino. Munera philologica Ludovico Cwikliński oblata, Posnaniae 1936, p. 128—137.

<sup>2)</sup> Un rescrit impérial sur la violation de sépulture. Revue historique. 56-e année CLXIII 2, mars-avril 1930, p. 241—265. ue.

20 κεινῆσαι. Εἰ δὲ μὴ, τοῦτον ἐγὼ κε-  
φαλῆς κατακριτὸν ὄνόματι  
τομβωρυχίας θέλω γενέσθαι.

Accurata atque verbosa rei investigatione peracta Markowski sequentia concludit: Caesar igitur secunda parte edicti Nazarei, vv. 6—20, in hominem rite praescriptis verbis apud magistratum Romanum delicti in sepulcrorum funeratumve admissi accusatum iudicium impietatis secundum leges sacras indigenarum Palaestinae, extrema parte, vv. 20—22, in calumniatorem alterum sepulcra reliquiasve revellisse false criminatum iudicium capitis fieri iubet.

Itaque similiter atque in edictis Cyrenaeis I et IV modi iudiciorum capitis in Cyrenaica provincia ad homicidia vindicanda constituendorum ordinatus, in edicto Nazareo genera iudiciorum in Palaestina ad delicta sepulcrorum violatorum iudicanda et ad calumnias ad eiusmodi maleficia spectantes persequendas faciendorum praecipuntur.

Ad calumniatorem, non ad verum sepulcri funerative violatorem, optime quadrat, quod in vv. 21—22 ὄνόματι τομβωρυχίας locutio tantummodo nomen actionis atque causam eius ex praescriptis verbis iuris, non ex ipsa re vere facta promptam denotat<sup>3)</sup>.

Nunc vero, quod magis theologorum interest: Ope illius interpretationis, quae extremum edicti Nazarei enuntiatum ad istud genus calumniatorum coërcendum scriptum esse explicat, etiam quaestio illa solvi posse videtur, quae ex rebus apud Matthaeum 28, 11—15 memoriae traditis oritur: cur principes sacerdotum et primores Iudaeorum Apostolos, quamquam eos corpus Jesu Christi ex sepulcro furatos esse divulgabant, crimine sepulcri corrupti funerative iniuria affecti non arceserint?

Si extremo edicti Nazarei enuntiato calumniator alteri crimen sepulcri revulsi funerative contrectati inferens iudicio capitis subiici iubetur, sacerdotes et primores Iudaeorum, quominus Apostolos illius criminis apud magistratum Romanum insimularent, ea re prohibitos esse apertum est, quod se ipsos, si istud crimen apud magistratum Romanum protulissent, nec praescriptis verbis demonstrare potuissent, periculum capitis subiturus fuisse haud ignorabant<sup>4)</sup>.

Restat, quod in margine auctor dissertationis adicit: Controversias inter principes sacerdotum primoresque Iudaeorum et

<sup>3)</sup> De Graeca inscriptione Nazarea, l. c., p. 435 sq.

<sup>4)</sup> De Graeca inscriptione Nazarea, l. c., p. 442.

Apostolos ex horum doctrina de resurrectione Jesu Christi praedicata ortas ansas documenti Nazarei promulgationis prae-buisse, id quod Cumont 1930, p. 265—266 opinatus est, novis argumentis fulcire studet Stephan Lösch, Diatagma Kaisaros. Die Inschrift von Nazareth und das Neue Testament. Eine Untersuchung zur neutestamentlichen Zeitgeschichte (Freiburg in Breisgau 1936) praesertim p. 64—77 et 97<sup>5)</sup>.

Quae docti philologi argumenta ad theologorum commoditatem notasse iuvat.

*Poznań*

*Bronislaus Gładysz.*

---

<sup>5)</sup> Ibidem p. 443, nota 16.